Posnanien. Matrimonii.

Stantibus &c.

Dubium = *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*

1 **Eme, & Rme Dne** NObilis Puella Marianna Malekovvska, ætatem quidem habens annorum undecim, sed perventa iam ad naturalem pubertatem ex eius ingenii vivacitate, corporisque habitudine, oblatum sibi Anno 1736. ab Avia matrimonium cum nobili, ac illustri Viro Theophilo Rosdrazevuski læto animo acceptavit, atque præeuntibus solitis tribus denunciationibus peractis in Ecclesia Parochiali, coram Parocho, & duobus Testibus celebratum deinde fuit matrimonium sub *die 22. Iulii 1736.* inter præfatos DD. Mariannam, & Theophilum, *Summario numer. primo*.

2 Matrimonium hoc in facie Ecclesiæ initum illicò consummarunt Sponsi connubiali affectu, ac cohabitatione subsecuta, atque habita per menses novem, & ultra usque ad *diem 3. Aprilis* subsequentis Anni 1737., quo tempore illustris Matthias Malekovuski Puellæ Patrvus, forsan exoptans tutelam, & curam Neptis iam Parentibus orbatæ, promovit adversus Sponsos in Curia Episcopali Posnaniensi nullitatem dicti Matrimonii non tàm ex defectu legitimæ ætatis Sponsæ, quàm etiam ex defectu liberi consensus eiusdem, *Summario num.2. lit.A.*, memorata tamen Sponsa nempè Marianna Malekovuska Adversaria simul cum eius dilectissimo Sponso *personaliter* in publica Causarum audientia coram Iudice comparuit ad sustinendam validitatem matrimonii, allegando pro exclusione sibi obiectati impedimenti impubertatis consummationem eiusdem matrimonii, ac pro exclusione cuiusque metus constantem animum, ab ea semper habitum adhærendi Theophilo, & non alteri; *dicto Summario num.2. lit. A. B. C., & H.*

3 Emanavit hinc Sententia tunc Reverendissimi Officialis Posnaniensis, qua licet perperàm nullum declaraverit Matrimonium ratione impubertatis Mariannæ, ac Sponsos pœnæ pecuniariæ subjecerit ob subsecutam inter eos connubialem copulam, *Summario citato num.2. lit.E., & F.*, eodem tamen contextu perspiciens cum consilio etiam Doctoris Phisici, quod Domina Marianna, neque tunc completam habens ætatem *Annorum 12.*, exuberanti jam malitià munita erat, quodque *toties dicta Marianna de Malekovuska* (ut verbis utar Sententiæ), *amore constanti adhærendo Theophilo, & non alteri, tantum eidem immediatè dicto Theo-*

philo se in vitæ sociam elocandam deliberato animo exposcit, *& cum eodem Matrimonium de præsenti inire appromittit*, *& assensum perfectum extra omnem metum posita*, *fortiter*, *libere reiterat* =, præcepit, mandavitque, matrimonium de novo inter ipsos contrahi servata forma Sacri Concilii Tridentini *vel* in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, *vel* coram proprio Parocho, rejecta quoque appellatione per Patruum interposita, uti *in citato Summario num.2 lit.G. H. I. L. M.*, *& N.*

4 Promulgato huiusmodi Decreto, seu Sententia *sub die* 3. *Aprilis* 1737., quod Puella Marianna coram Iudice constanti animo affirmaverat, effectuavit post elapsos tres dies, dum *die* 7. *dicti mensis*, & Anni matrimonium renovavit cum Domino Theophilo viro sibi amantissimo in Ecclesia Cathedrali Posnanien. servata forma sacri Concilii Tridentini, prout testimonium extat in Libro Copulatorum dictæ Ecclesiæ Cathedralis, *Summario num.*24. *lit.B.*, & fatetur ipsa Marianna Adversaria in Articulis, de quibus *Summario numer.*10., & affirmant contrarii Testes eodem *Summario num.*13., *&* 19., deindeque connubialem vitæ consuetudinem pacificè ita semper habuit cum eius Sponso Rosdrazevusκi Principali, ut numerosam ediderit Prolem usque ad *novem* Liberos, quorum quinque etiam adhuc in humanis sunt, *Summario num.*3., *& num.*4. 5., *&* 6 *lit.A.*

5 Post adeò longam vitæ coniugalis societatem traductam cum eius legitimo Sponso, Mulier ista Thalamum, prout exitus comprobavit, variare desiderans, ut pravis eius cupiditatibus, ac Seductorum suggestionibus obsecundaret, præter omnium expectationem sub Anno 1749., arrepta occasione absentiæ Domini Principalis, è Domo sui Viri ex improviso discessit secum ducta etiam Filia Fæmina, ac Domum viri per homines armatos ab Andrea MaleKovusKi Venatore Callisiensi eius Consanguineo missos, spoliavit rebus pretiosioribus, nempe gemmis, auro, argento, vestibus, ac suppellectibus domesticis, ut deponunt Testes dati in *Summario num.*4. 5., *&* 6., quorum omnium valor longè excedit insignem summam flor. polon. 32642., constantium summam circiter scut. 5000. monetæ romanæ, uti liquet ex authentico Inventario, seu Codicillo dictarum rerum interceptarum, de quo *Sum. n.*7.

6 Introduxit deinde sub *die* 1. *Decembris* 1749. post huiusmodi discessum, ac patratum violentum spolium Domina Marianna Adversaria Causam super nullitate matrimonii, ac subministratione Alimentorum coram Reverendissimo Officiali Posnanien., quamvisque Dominus Theophilus Principalis super puncto prætensæ nullitatis matrimonii respondere repugnaverit, solumque institisset pro purgatione passi violenti spolii, priusquam respondere cogeretur super puncto prætensæ nul-

nullitatis , ac subministrationis Alimentorum , *Summario num.*8. , attamen non obstante etiam judiciali recessu Dominæ Adversariæ , ac ordinata per Iudicem suspensione prætensionis subministrationis Alimentorum , *Summario dicto numer* 8. *lit.B.* , sub die 7. Aprilis 1752. præfatus Iudex reiecta exceptione Spolii , condemnavit Dominum Principalem ad subministrationem florenorum 4000. annuatim Dominæ Adversariæ in causam Alimentorum præstandorum , *eodem Sum.n.*8. *lit. C.*

7 Appellatione ab huiusmodi gravanti Decreto interposita per Dominum Principalem ad Apostolicum Tribunal Sacræ Nunciaturæ Poloniæ , cum istius Dominus Auditor admissa dumtaxat appellatione super puncto subministrationis Alimentorum , quæ subministrari subinde etiam ordinavit in dicta exorbitante summa floren.4000. , cum, in quam, Dominus Auditor remisisset ad Curiam Posnaniensem Instantiam *super puncto nullitatis matrimonii* , statim Domina Adversaria testes produxit ad probationem faciendam ass.nullitatis matrimonii, veluti per vim,& metum contracti anno 1736.,& renovati subsequenti anno 1737. , ac Iudex spretis protestationibus , ac exceptionibus datis pro parte Domini Principalis , consentiente Defensore matrimonii ad placitum Partis destinato in Testes productos , eosdem die 14. Augusti 1752. admisit ad juramentum , *Summario num.*9. , ac productis Articulis , de quibus *Summario num.*10. , in contumaciam Domini Principalis , ac sine præsentia etiam Defensoris matrimonii receptæ fuerunt depositiones novem Testium , quas damus in eodem *Summario a n.*11. *usque ad n.*20.

8 Quamvis materia ipsa articulata non contineret ea violentiarum genera , quæ animum Mariannæ ad invisas nuptias contra propriam voluntatem inducere possent , nec non Testes in numero novem exadverso adducti nihil prorsus concluderent , nihilominus renovata sub *die* 15. *Septembris* 1752. Instantia per Dominam Mariannam Adversariam pro nullitate matrimonii , petendo una simul declarari Prolem legitimam , uti bona fide ex parte ipsius susceptam , *Summario num.*20. , sub *eadem die* 15. *Septembris* Reverendissimus Officialis Posnaniensis ex insubsistentibus , ac irrelevantibus rationibus per ipsum in sententia adductis , nimia facilitate , ac propensione non dubitavit , nullum declarare Matrimonium tam *primò* , quam *secundò* contractum , ac Mariannæ licentiam tribuere ad alias nuptias sibi magis benevisas transeundi , nec non post declaratam Prolem pro legitima , mutuis sumptibus educandam , irritare , penitusque cassare Instrumenta dotalia , omnesque nuptiales donationes , demumque Partes ipsas remittere ad Iudicium sæculare quoad alias prætensiones ratione successionum Filiorum , ut videre est in *Summario num.*21. *per tot.*

9 Ab ista Sententia appellatione interposita per Defensorem Matrimonii *Summario cit. num. 21. litt. E.*, Dominus Principalis probè sciens, quod sortem meliorem expertus non fuisset, si Causæ hujus matrimonialis cognitio introduceretur in Metropolitana Curia, satiùs duxerat hanc Causam ad Urbem deferre mediante expeditione Citationis specialis Tribunalis Signaturæ Justitiæ cum præinsertione Commissionis Appellationis, *Summario num 22.*, ibique *litt. A.*; Sed econtrà D. Marianna Adversaria, amore alterius viri, ut exitus probavit, irretita, sprevit Inhibitionem sibi executam *die 26. Novembris 1752.*, *Summario cit. num. 22. litt C.*, Causamque prosecuta fuit coràm Reverendissimo Officiali Curiæ Metropolitanæ, *Summario num. 23.*, coràm quo Dominus Principalis ad impediendam ulteriorem Causæ prosecutionem protestatus fuit quidem de attentatis, *Summario cit num. 23. litt. A.*, at videns, quod Curia Metropolitana illudere parata erat supradictam Inhibitionem Signaturæ Justitiæ sub prætextu, quod ea non percuteret Causam principalem nullitatis Matrimonii, sollicitus etiam fuit idem Principalis aliam Inhibitionem expedire coram Sacra Nunciatura Poloniæ, eamque exequi facere tum Cancellario Actuario Curiæ Metropolitanæ, tum Dominæ Mariannæ Adversariæ sub *die* 19., *&* 20. *Ianuarii* subsequentis anni 1743., *eodem Summario num. 24.* ibique *litt. A.*, *& B.*

9 Hæ tamen geminatæ Inhibitiones cohibere nec valuerunt incredibilem Partis adversæ insistentiam, ac cursum Causæ in Metropolitana Curia, dum post executionem dictarum Inhibitionum Domina Marianna Adversaria *sub die 26. dicti mensis Ianuarii* instetit iterùm pro confirmatione Sententiæ Ordinarii super nullitate Matrimonii emanatæ, *Summario num. 25.*, & nimis præproperè illius votis annuit Reverendissimus Officialis Posnanienensis per Sententiam sub eadem die promulgatam, de qua *Summario citat. num 25. lit. D.*; Finem (quis crederet?) non habuerunt hìc contrariæ violentiæ, & causam divertendi ab antea experto thalamo Domini Principalis jamjam Adversaria demonstravit per transitum, quem illico fecit ad alium Thalamum Viri *Ioannis Belæcki*.

10 Nam, ut vidimus, pendebat tùm Inhibitio Tribunalis Signaturæ Justitiæ executa præcedenter in personam Adversariæ, necnon Actuarii Curiæ Posnaniensis, & Gnesnensis, *Summario num. 22. lit. B. C.*, *& D.*, tùm altera Inhibitio vigore appellationis à Sententia utriusque Curiæ expedita in Sacra Nunciatura Poloniæ, ac æquè præcedenter contra Adversariam, & Cancellarium Actuarium Curiæ Gnesnensis personaliter executa, *eodem Summario num. 24. lit. A.*, *& B.*, ulteriùs sub eadem *die 26. Ianuarii*, qua prodiit posterior Sententia, Procurator D. Principalis appellationem contempora-

pora-

poraneè in Actis interposuerat, mox *cit. Summario num.25. lit.C.*, quæ appellatio omninò reijci, ac sperni non poterat juxtà notissimam *Constitutionem SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI*; Sed omnibus hisce Inhibitionibus despectis Adversaria prævia licentia extorta ab Officio, seu Consistorio Ordinarii Posnaniensis attentatè *die* 15. *Februarii* 1753. secundum contraxit Matrimonium cum supranominato *Ioanne BelecKi*, prout docetur *in Summ. n.26.*

11 Remissa hujusmodi fatali, ac deplorabili Causa ab R.P.D. Auditore Signaturæ Justitiæ ad amplissimum hunc Senatum Decreto lato *die* 28. *Martii* præterlapsi anni, *Summario numer.27.*, successivè Sacra hæc Congregatio *tùm* per Epistolas *Reverendissimo Nuncio Poloniæ* directas, *tùm* per reiterata Mandata relaxata ab R.P.D. meo Secretario statim ordinata fuit separatio Mulieris a secundo prætenso Viro, ejusque collocatio in aliquo Monasterio usque ad exitum litis, Mandatis tamen hujus Sacræ Congregationis Domina Adversaria parere umquam noluit, sed in vero concubinatu cum præfato BelecKi vivere continuavit tanto cum dedecore legitimi sui Viri, Filiorumque in constantia Matrimonii susceptorum: quamvis Domina Adversaria sese excusaret ab ingressu Monasterii ob Ventrem prægnantem ex ass. secundo Marito, nihilominus neque penès honestam Matronam, quousque conceptam Prolem enixi foret, recedere voluit, prout continebatur in Mandatis hujus Sac. Congregationis.

12 Partum tandem enixa fuit usque a mense Decembris proximè præteriti Domina Marianna Adversaria, sed adhuc cum omnium scandalo in obstinato concubinatu perseverare intendit, recusando Monasterium ingredi, itaut coactus fuerit Dominus Principalis sub *die* 15. *Februarii proximè præteriti* iteratum Mandatum obtinere à prælaudato R.P.D. Secretario, de quo *Summario num.*28.; Nunc autem idem Dominus Principalis Theophilus RozdrazevsKi, ut tandem aliquando optatum assequatur finem separationis legitimæ suæ Uxoris a concubitu alterius illegitimi Viri, utque honorem suum, Filiorumque tantopere læsum reintegret, resolvendum proponit præinsertum Dubium super puncto prætensæ Nullitatis Matrimonii, & absque ulla vel minima hæsitatione ab Eminentissimis, & Reverendissimis Patribus favorabile expectat Responsum = *Non constare de Nullitate Matrimonii* =, prout humillimè eosdem Emmentissimos Patres enixis precibus exorat.

13 Profectò Matrimonium fuisse contractum usque, & sub die 22. Julii 1736 inter prænobiles Theophilum RozdrazeusKi, & Mariannam MaleKousKa coram Parocho, & duobus Testibus juxtà formam præscriptam *à Sacro Concilio Tridentino Sess.24. de ref r. Matrim. cap. primo*, indubiè constat ex Fide Matrimonij, de qua *Summario num. primo*; Haud ob-

 stan-

stante, quod eo temporis nulliter initum fuerit Matrimonium, & nullum revera per Sententiam declaraverit die 3. Aprilis 1737. Curia Episcopalis Posnaniensis propter defectum legitimæ ætatis memoratæ Mariannæ, tunc annum decimum, & sex menses agentis, prout ex Actis exhibitis *in Summario num. 2. per tot.*

14 In primis enim quidquid *contradictoriè* pronunciaverit Curia Episcopalis Posnaniensis dicto anno 1737., validum usque ab initio fuit Matrimonium, quia tametsi inspectis Juris Civilis, & Canonici Legibus pro contrahendo Matrimonio præscripta sit ætas annorum duodecim in Femina, annorum verò quatuordecim in Masculo, *Leg. 4. ff. de ritu nupt.*, *Leg. quod pupillæ ff. ut Legator. nomin. Leg. Si Uxor §. Si minor ff. ad Leg. Jul.*, *& cap. continebatur*, *cap. Attestationes*, *cap. Ex litteris*, *& cap. Ubi non est de Desponsat. Impub.*, attamen ejusmodi Leges certam hanc annorum ætatem præscribentes fundantur in simplici præsumptione, quod homines non ante pubescant, & sobolem procreent; cæterum si in fæmina, vel masculo naturalis pubertas præveniat legalem pubertatem, nemo dubitat de validitate Matrimonii ab Impubere ante legales annos contracti: *Litterales sunt Textus in Capit. Puberes de Desponsat. Impub.*, ibi = *Certum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest* =, *& cap. Juvenis de Sponsal.*, *& Matrim.*, & docet universa Canonistarum, & Theologorum Schola, ut apud *Sac. Rot. in Luceorien. Matrimonii* 1. *Iulii* 1726. *§. Submota, & seqq. cor. cl:me: Card. Calcagnino.*

Ætas requisita ad contrahend.

15 Perperàm igitur Anno 1737. Curia Episcopalis Posnaniensis invalidaverat ob defectum ætatis Matrimonium initum Anno 1736., dùm Domina Marianna MaleKouska licet Puerula, annorum decem, & mensium sex, natulariter tamen potens fuerat ad Matrimonium; Nam vix, Matrimonio contracto constat dè subsecuta copula cum ejus Sponso, *Summario num. 2. lit. B. C. D. & E.*, ex quo facto certa, & indubia oritur probatio, quod Marianna ex malitia, seu habitudine corporis pervenerat ad naturalem pubertatem, prout ex subsecuta copula firmant, *Sanchez de Matrim. lib. 7. quæst. 5. per tot.*, *Pontius eod. tract. lib. 2. cap. 3. num. 3. & 6. & num. 12.*, *& Rot. in Luceorien. Matrimonii* 1. *Iulii* 1726. *§. Verùm præventivæ legalis pubertatis ratio, coram cl:me: Cardinali Calcagnino.*

16 Ulteriùs quod Domina Marianna tempore initi Matrimonii anno 1736. malitiam haberet ætatis suppletivam, non obscurè ostendunt animadversiones, quod memorata Marianna tunc Puella annorum *undecim* amore alterius nobilis viri irretita erat juxta ejus confessionem, de qua *Summario numer. 10. super 1. Articulo versus fin.*, *& num. 19.* pariter *super 1. Articu-*

ticulo in fin., ubi contrarius quidam testis affirmat, Mariannam hæc verba sibi dixisse = *Coniungat me Generosa Avia cum Generoso Bieczynski, ad quem cor dirigo* = *& n.21. lit.A.*, quod eadem Marianna comparuerat in Judicio ad strenuè protuendam Matrimonii validitatem, allegando ejus habilitatem naturalem, ac etiam subsecutam copulam, *Summario num.2. per tot.*, quodque Judex ipse Officialis Posnanien. ex vivacitate ingenii, atque ex oculari aspectu Corporis Mariannæ capacem Matrimonii eamdem recognovit, eique neque habenti tunc completum annum duodecimum, licentiam dedit renovandi matrimonialem consensum, *cit. Summario num.2. lit.G.*: Hæc porrò omnia ineluctabile præbent argumentum, quod Marianna ante tempus à Lege præfinitum pubertatem naturalem acquisiverat, ex animadversis per *Abbat. in cap. continebatur num.9. de D sponsſ. Impub.*, *Silvestr. in Summario verb. Matrimonium quæst.4.*, *& Menoch. de Arbitrar. lib.2. centur.1. cap.17. num.20.*

17 Verùm minùs rectè ex hoc capite irritari tunc poterat Matrimonium statim ac Marianna ipsa nedum in judicio nullitatem haud deduxerat, sed totis viribus validitatem propugnabat; Matrimonium autem inter Puberem, & Impuberem, nonnisi Impubere reluctante, irritum declarari potest, juxta famigeratam Resolutionem S. hujus Congreg. in *Rossanen.*, *seu Bisinianen. Dispensationis*, in qua contracto Matrimonio inter Franciscum Cimini ætate majorem, & Victoriam Spataro *annorum 9.*, cum hæc post biduum decessisset ob ejus malam valetudinem, memoratus Franciscus cupiens subindè Matrimonium contrahere cum Hjeronyma defunctæ Victoriæ Sorore, obtinuerat dispensationem Apostolicam ab impedimento publicæ honestatis directam in forma commissaria, sed propositis duobus Dubiis = I. *An Matrimonium contractum inter Franciscum Ciminum, & Victoriam Spataro Terræ Coriolani Rossanen. Diœcesis fuerit validum in casu &c.* =, & quatenus negativè = II. *An Litteræ Apostolicæ dispensationis sint exequendæ &c.* = Sacra hæc Congregatio *sub die 24. Aprilis 1717.* respondit = *Ad I. non constare de nullitate Matrimonii* = *Ad II. negativè* =, atque huic Resolutioni inhærens etiam Sacrum *Rotæ* Tribunal firmavit, Matrimonia de præsenti inita inter Puberem, & Impuberem irrita non esse, eodem Impubere non reclamante, ut videre est in *Luceorien. Matrimonii 1. Julii 1726. §. Verum coram clar. mem. Cardinali Calcagnino*, *& in Confirmatoria 10. Januarii 1727. §. Et quoties cum seq. coram eodem.*

18 Cessat insuper quælibet hac in re difficultas, quia præsupposita etiam nullitate Matrimonii initi *anno 1736.* ob defectum ætatis, adhuc de contractu Matrimonii constat, quia consentaneè ad licentiam traditam, ut diximus, ab ipsa Curia Posnaniensi iterandi Matrimonium *vel* in Ecclesia Cathedrali Pos-

nanienfi, *vel* coram proprio Parocho, *sæpeiit. Summario num.* 2. *litt.* I., de novo iteratum fuit Matrimonium inter eofdem prænobiles Mariannam Malekovfcka, & Theophilum Rozdrazevvski in Ecclesia Cathedrali poft tertiam, aut quartam diem a promulgato Decreto Curiæ Pofnanienfis, ut faffa fuit ipfa Domina Marianna Adverfaria *fuper Articulis* 4. 6. 7. 8., *&* 9. *Summario num.* 10., necnon affirmant contrarii Teftes *Summario num.* 13. *in fin.*, *&* *num.* 19 *fuper* 4. *Artic. in fin.*, demùmque pro certo admittitur in utraque Sententia Pofnanienfi, ac Gnefnenfi eadem *Summario num* 21., *&* *num.* 25. *litt. B.*, *&* *D.*; Quinimmo de iteratione Matrimonii juxta formam Concilii Tridentini nec leviter dubitare finit continuata Matrimonialis cohabitatio, quæ permiffa haudquaquam fuiffet, fi *revera*, & *de facto* Conjuges iterum legitimè Matrimonium non reiteraffent.

19 Conftito hinc de contractu Matrimonii *duplici vice* celebrato juxta folemnia præfcripta a Sacro Concilio Tridentino, pro quibus cæteroquin fufficeret fola præfumptio ex eo deducta, quod Domina Marianna Adverfaria tàm coram Ordinario Pofnanien, quàm in gradu appellationis coram Metropolitano Gnefnen. nullitatem Matrimonii in Judicio inftruxit ex *unico* motivo vis, & metus, *Summario num.* 8., undè neceffariò præfupponitur contractus Matrimonii in facie Ecclefiæ, ut confiderat, *Rot. decif.* 301. *num.* 1. *part.* 11., *&* *in Luceorien. Matrimonii* 1. *Julii* 1726. §. *Solemniis coram clar. memor. Cardinali Calcagnino*, confequens fit, omnem præfumptionem militare debere prò validitate ejufdem Matrimonii, nifi exadverfo pleniffimè, ac concludentiffimè probetur prætenfa nullitas fivè ex defectu liberi confenfus, fivè ex alia irritanti caufa promanans, ad communiter tradita per *Sanchez de Matrim. lib.* 4. *difput.* 1. *num.* 10. *Panimoll. decif.* 102. *ann.* 1. *num.* 3., *&* *Rot. in Cracovien. Matrimonii fuper validitate*, *&* *remiffaria* 12. *Januarii* 1699. §. *Tale coram clar. mem. Cardinali Priolo*, *&* *in Romana Matrimonii* 2. *Maii* 1727. §. *Iterum namque coram Ratto*; Certiùs in præfenti *fingulariffimo* cafu, in quo agitur nedum de Matrimonio confummato per *quatuordecim*, & ultra annos, fed de Matrimonio, a quo orti funt *novem* Liberi, quorum *quinque* jam vivunt, *Summario num.* 3., *&* *num.* 4. 5., *&* 6. *litt. A.*, & quorum fucceffio juxtà leges Regni Poloniæ ad paternam hæreditem jam denegaretur.

20 Nimia porrò facilitate ad irritationem Sacramenti Matrimonii procefferunt Reverendiffimi Officiales *Pofnanienfis*, *ac Gnefnenfis* ex Inquifitionibus, feù Depofitionibus Teftium, fuper quibus Domina Marianna Malekovska Adverfaria fundavit nullitatem Matrimonii propter defectum ejus liberi confenfus ufque ab initio Matrimonii contracti cum Theophilo Rozdrazouski Principali; Omiffa namque legali exceptione, quod

omnes

omnes contrarii Testes deposuerunt super Articulis ad placitum Adversariæ exhibitis absque interventu Principalis, qui instabat pro purgatione spolii, ac restitutione prætiosarum rerum sibi a propria Domo ablatarum, necnon sine Interrogatoriis, ac Interprete pro parte ejusdem D. Principalis, vel *Defensoris* Matrimonii, ita ut antedicti Testes sub torculo examinis non positi legitimam probationem nequaquam constituant, nullaque de iis ratio haberi possit pro fundanda dissolutione Matrimonii ex capite vis, & metus, *Clemen*. 2. ibique *Gloss. verb. Ritè de Testib. Imol. ibid. num.*4. *vers. Quæro*, & ad rem *Rot. coram Molines decis.* 798. *numer.* 33. *tom.* 3. *part*, 2.

21 Prætermisso itidem, quod ex contrariis Testibus numero novem alii deponunt *vel* de auditu, & quidem de auditu ab ipsa Domina *Adversaria*, *vel* de simplicibus persuasionibus Aviæ, *vel* sine congrua scientiæ causa; alii sunt vilissimæ Mulierculæ, quarum una actu in qualitate *Famulæ* inservit Dominæ Adversariæ, *Summario num.*9. *litt.A.*; alii rursùs, inter quos recensetur proprius Parochus, qui Matrimonio interfuit, nihil testantur de sævitiis, ac ass. coactionibus ab Avia adhibitis, sed nescire, ac ignorare responderunt ea omnia, quæ Adversaria exposuit in Articulis pro causa probationis incussi gravis metus, quemadmodum sparsim colligi potest ex eorumdem Testium depositionibus, quas, ut veritas horum pateat, damus in *Summario num.*11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18., *&* 19.; Nequit ergo ex hisce contrariis Testium depositionibus ulla erui legitima probatio violentiarum, & metus pro dissolvendo fœdere Matrimonii, ad expressos *Textus in cap. Requisivit*, *cap. Gemma*; *cap. Veniens il* 2. *cap. Cum secundu*., *cap. Cum de Muliere*, *cap. Ad id*, *& cap. Consultationi de Sponsal.*, *& Matrim.*, *& in cap. Ex litteris de Despons. Impub.*, & promiscuè tradunt *Mascard. de Probat. conclus.* 119. *num.* 10. *Sperell. decis.* 75, & alii adducti per *Rot. in Romana Matrimonii* 1. *Julii* 1726., *& in Confirmatoria* 2. *Maii* 1727. *cor. bon. me. Ratto*.

22 Hoc unum certum est, quod si spectetur ipsa materia contenta in Articulis, impossibile est, quod Eminentissimi Patres in eam abire possint Sententiam, quod Matrimonium, de quo agitur, nullum fuerit, ac nullum modò declarari debeat ex defectu consensus liberi Mariannæ Adversariæ, prout malè, & perperàm opinati sunt Judices de Partibus; Materia quippe articulata aliud in substantia non continet, quàm quod Marianna teneræ ætatis, orbataque Parentibus adacta fuerit ad contrahendum Matrimonium cum Domino Theophilo Rozdrazeovki ex persuasionibus, & impulsu Aviæ Koszutki, sub cujus, & viri tutela manebat, quæque ad metum incutiendum eidem nunciaret, quod nisi Matrimonio se collocaret cum Generoso Rozdrazovski, Venator Callisiensis Malekouski

 Pa-

Patruus suus tutelam ipsius suscepisset, Monasterio eam tradidisset, ejusdeque fortunam suam eripuisset, ut in *Summario num.* 10.

23 In supposito autem, quod hæc omnia in facto legitimè etiam probata manerent, adhuc nimis infeliciter Marianna Adversaria proponit nullitatem Matrimonii; Quandoquidem tritæ sunt in hac materia theoricæ, quod ad irritandum Matrimonium legitimè contractum ex capite vis, & metus non sufficit quilibet metus, sed requiritur ita gravis, ut cadens in constantem Virum potens sit intervertere libertatem proprii consensus, ut per *Text. in cap. 2. de his, quæ vi, metusque caus.*, *& in cap. Ex litteris de Sponsal. Impub.*, *& in leg. Si a Patre cogente 22. ff. de ritu Nupt.*, communiter docent *Passerin. de Stat. hom. qu.* 189. *art* 10. *inspect.* 2. *num.* 5 *Sanchez de Matrimon. lib.* 4. *disput.* 6. *num.* 8., *Petrus de Soto sect.* 3. *de Matrim.* §. 3., *Ledesma dub.* 23. *de Matrim. part.* 2. *conclus.* 5. §. *notare opportet*, *Navarr. in Summ. cap.* 21. *num.* 51. *ad fin.* *& Rot. coram Burat. decis.* 628. *num.* 5., *coram Molines decis.* 798. *num* 54. *tom.* 3. *part.* 2., *& in Cracovien. Matrimonii super Remissoria* 21. *Aprilis* 1698. §. *Secundo talis metus cor. Priolo.*

Qualitas metus pro dissolvendo.

24 Hujus generis metus cadens in constantem Virum requiritur etiam in Fœmina teneræ quoque ætatis, quia quidquid dixerint nonnulli *Auctores*, communis, ac recepta in foro sententia est, quod simplex metus reverentialis debitus erga Patrem, vel Matrem, vel alium Consanguineum, sub cujus tutela, & cura Mulier existat, non sufficiat, nisi metus junctus sit cum minis gravibus, atquè cum protestationibus, conquestionibus, & lacrymis Mulieris, ita ut dignoscatur, quod metus talis fuerit, qualis est necessarius, ad pervertendum animum etiam Viri constantis juxtà *Text. in cap. Consultationi de Sponsal.*, *& Matrim.*, ubi Innocentius III. de Mulieribus loquens inquit = *Sed de illato metu est cum diligentia inquirendum, & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem Virum, erunt non immerito audiendæ* =, & advertunt *Abbas in cap. Cùm Virum num.* 8. *Butr. num.* 6. *de Regular.*, *& Rot. coram Buratt. decis.* 205. *num.* 27., *ibique Adden. numer.* 32. *coram Rogas decis.* 491. *num.* 6., *&* 7. *coram Dunozett. decis.* 930. *num.* 6. *coram Merlin. decis.* 590. *num.* 2. *coram Molines decis.* 798. *num.* 51. *in Luceorien. Matrimonii* 1. *Julii* 1726. §. *Hanc juris censuram coram clar. mem. Cardinali Calcagnino.*

25 Persuasiones itaque ab Avia Kozutski peractæ erga Mariannam Neptem, ut Matrimonium ea quàm sollicitè iniret cum Theophilo Rozdrazovuski, ne cogeretur in tutelam sui Malekouuski transire, Clustra Monasterii ingredi, ac sortem suam amittere, ineptissime reputantur ad irritandum indissolubile Matrimonium propter vim, & metum, cum hujusmodi suasio-

ſiones boni, & mali, & inaugurationes infauſti eventus, licet aliquam moleſtiarum ſpeciem ingerant, nihilominus non ſunt ita generativæ metus gravis, ut in Marianna intervertere potuerit libertatem conſenſus Viri conſtantis, juxta apertiſſimos *Textus in Leg. Timorem ff. de eo, quod metus*, *Leg. 7. §. Idem Labeo ff. de vi, & vi armat.*, & genaralibus omiſſis monent in ſpecie *Enriquez de Matrimon. lib. 11. cap. 9. numer. 5.*, *Ludovic. Lopez in 2. part. instruct. de Matrimon. cap. 40. § Adde tamen. pag. mihi 172.*, *& Rota coram Buratt. deciſ. 628. num. 3.*, *in Recentior. deciſ. 463. numer. 3. part. 2.*, *deciſ. 516. num. 17. part. 5.*, *& in citata Luccorien. Matrimonii §. Applicando*, ibi = *Applicando itaque activa paſſivis, nullum tam grave Mariannæ infortunium comminatum fuiſſe pro certo eſt, ſed dumtaxat adhibitum fuiſſe ſtudium, ut ipſa ad contrahendum Matrimonium per repræſentantiam fauſti eventus, atque fortunæ, & è converſo hujusmodi fauſtum eventum, atque fortunam ex alieno Matrimonio obventuram non eſſe, quæ procul dubio ſuaſiones, & blandimenta tanti non ſunt, ut removeant liberum conſenſum ab actu, ingerantque metum in conſtantem Virum cadentem, ut indiſſolubile Matrimonii vinculum diſſolvatur; etenim etiamſi præenunciatæ ſuaſiones aliquam moleſtiarum ſpeciem redolerent, nihilominus non ſunt generativæ metus gravis in conſtantem Virum cadentis* =

26 Eoque magis, quia inauguratio Puellæ Mariannæ facta, quod ex Matrimonio cum prælaudato Theophilo Rozdrazouski Principali felices, fauſtique ſucceſſus obventuri forent, ſecus ſi non contraheret, dum incidiſſet ſub tutela Patrui, a quo detruſa etiam fuiſſet in Monaſterio cum amiſſione ſuæ fortunæ continetur intra limites liciti, & honeſti; Quoniàm memoratæ Aviæ, quæ cuſtodiam, & tutelam Neptis tenebat, permiſſum erat pro majori bono, atque utilitate Pupillæ Neptis Matrimonium eidem oblatum inſtanter inſtantiſſime perſuadere, atque etiam levibus nonnullis coactionibus uti eodem fermè modo, quo ſimiles coactiones Parentibus de jure permiſſæ ſunt, ut melior eorum Filiis obveniat conditio, eisdemque infauſtus aliquis futurus eventus impediatur, quemadmodum *per Textum in Leg. Patre cogente ff. de ritu Nuptiar.*, *Gloſſ. in cap. Tuo nos verbo conſenſit de Deſponſat. Impub.*, in valide durioribus terminis docent *Pignattell. conſult. 81. num. 9.*, *& 11. tom. 9.*, *Sperell. deciſ. 75. num. 22.*, *50.*, *& 79.*, *Sanchez de Matrimon. lib. 4. diſput. 22. num. 5.*, *& Sacra Rota in Recentior. deciſ. 516. num. 9. part. 5.*, *& in Cracovien. Matrimonii ſuper validitate*, *& Remiſſoria 12. Ianuarii 1699. §. Sed tale objectum cum ſeq.*, *& per tot. cor. clar. mem. Cardin. Priolo*, *& in Luccorien. Matrimonii 1. Iulii 1726. §. Quandoquidem coram clar. mem. Cardinali Calcagnino.*

Po-

27 Potissimum sive ponderetur, quod malum Mariannæ nunciatum inducere eamdem nequivit ad Matrimonium coactè, & involuntariè celebrandum, dum non erat in potestate Aviæ inferendi Mariannæ nunciatum malum, detrudendi videlicet eam in Monasterii Claustrum, sed dependisset ab arbitrio, & voluntate Patrui, unde cum non ageretur de malo, quod inferri posset ab Avia, illud minante, nec ullo modo constet, quod Patruus certò, aut saltem probabilissime insinuatum ab Avia malum intulisset, incredibile hinc prorsus fit, quod Domina Marianna Adversaria talem ex malo nunciato timorem concipere potuerit, ut ad occurrendum huic malo sine libero suo consensu coacta fuerit Matrimonio contracto assentire; quando tamen certum, & indubitatum est, quod ad hunc effectum non simplex malorum inauguratio sufficit, sed opus est eam inaugurationem videri de proximo, quodque inaugurans exequi possit, sitque solitus ea exequi, ut notant DD. *in Leg.* 1. *ff. de eo, quod metus causa, Leg. Isti in fin., Leg.* 7. *§. Proinde, Leg. Non est ff. eodem, & Sanchez de Matrimon. lib.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 3. *num.* 20., *Camerat. respons. prima num.* 18., & egregiè *Rota coram Molines decis.* 798 *num.* 63. *coram Peutinger decis.* 32. *num.* 5., *& in Luccorien. Matrimonii* 5. *Maii* 1700. *§. Prout coram Cardinali Priolo*, & in alia *Luceorien. Matrimonii* 1. *Iulii* 1726. *§. Attamen coram eod. Card. Calcagnino.*

28 Sive etiam ponderetur, quod malum majus fuisset eidem Mariannæ nubere Viro inviso, ac vitam traducere in perpetuo cruciatu, quàm transitum facere sub tutela Patrui sui, ac etiam subire Monasterii ingressum; Constans autem est in Iure, quod ut metus cadere dicatur in constantem Virum, omnino necessarius pro dissolutione Matrimonii ex defectu liberi consensus, opus est, quod metum passus eligat minus malum ad majus evitandum, alioquin si majus eligeret ad minus grave evitandum, esset propriè metus Viri inconstantis prorsus ineptus ad Matrimonium dissolvendum, *Textus est in Leg. Metus la prima ff. de eo, quod metus causa*, ibi = *Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris mali* = & post *Divum Thomam in* 4. *Sentent. dist.* 29. *articul.* 2. tradunt *Sylvest. in summ. in verb. Metus quæst. prima, Bonaccin. opera omnia tractat. de Matrimon. quæst.* 3. *articul.* 8. *num.* 2., *Covarruv. de Matrimon. cap.* 3., *&* 4. *n* 2. *Sperell. dec.* 75. *num.* 18. *tom. primo, & Rota coram Molines dec.* 798. *n.* 55.

29 Hæc ad abundantiam dicta sint, dum pro omnimoda exclusione asserti metus prompta sunt argumenta ineluctabilia. Siquidem primus Testis exadverso inductus, nempe *Reverendus Paulus Mierkouski* deponit quidem, se qua Parochum prævijs solitis tribus denunciationibus una die peractis in Ecclesia

Pa-

Parochiali, Matrimonio adstitisse in Domo Aviæ Kozutski, & ante ejus Lectum, ubi jacebat infirma; sed nedum non deponit de ulla coactione Mariannæ ad illud Matrimonium contrahendum, quinimmo an fuerit aliquo modo coacta, se inscium esse, adseveranter respondit, ut videre est *in Summario num.* 11.; Quoties ergo in actu contractus Matrimonii nulla dissensus, vel non liberæ voluntatis signa in Marianna Adversaria Parochus invenit, prout hæc signa vel lacrymis, vel conquestionibus, vel protestationibus edere naturaliter debuisset, ac Parochus de his, aliisque signis testimonium perhibuisset, magnum inde oritur argumentum, quod libero, ac voluntario Mariannæ consensu Matrimonium celebratum fuerit, nimisque imprudenter eadem Marianna Adversaria nullitatem indissolubilis Matrimonialis fœderis hodie in Iudicio deduxit, *Sanchez de Matrim. lib.* 4. *disput.* 27. *numer.* 2., *&* 7., *& Rota in Luccorien. Matrimonii prima Iulii* §. *Alterum liberæ voluntatis inditium*, *& in confirmatoria* 10. *Ianuarii* 1727. §. *Vel quatenus coram clar. memor. Card. Calcagnino*.

30 Præterea pro exclusione afferti metus unum præ cunctis sufficiat sequens Factum, suffocans omnes possibiles contrarias metus probationes, ac Mariannæ Adversariæ os perpetuò occludens. Sub die 3. Aprilis 1737. septem post menses a die celebrati Matrimonii Patruus Mariannæ Matthias Malekouski Venator Calissien. adversus dictam Mariannam, & Theophilum Sponsos judicium nullitatis Matrimonii propter ætatis defectum introduxit coram Suffraganeo, & Officiali Posnanien., hinc tàm Theophilus, quàm & præcipuè Marianna *personaliter* coram Iudice comparuerunt ad sustinendum Matrimonium, allegantes etiam consummationem ejusdem Matrimonii pro exclusione impedimenti impubertatis Mariannæ, *dicto Summario num.* 2. *litt. B.*, *C.*, *& D.*; Iudex autem quamvis perperàm crediderit Matrimonium fuisse nullum ratione impubertatis Mariannæ, ac Sponsos subjecerit pœnæ pecuniariæ ob subsecutam inter eos connubialem cohabitationem, *Summ. dicto n.* 2. *lit. E.*, *& F.*

31 Nihilominus, quia prædictus Iudex cum consilio etiam Doctoris Phisici Mariannam inspexit robustate, agilitate, ac prudentia munitam, ita ut ejus malitia suppleret ætatem pro Matrimonio reiterando, nec non *quod toties dicta Marianna de Malekouuska* (sunt verba ipsius Sententiæ Iudicis) AMORE CONSTANTI *adhærendo Theophilo*, NON ALTERI, *tantùm eidem immediatè* DICTO THEOPHILO SE IN VITÆ SOCIAM ELOCANDAM DELIBERATO ANIMO EXPOSCIT, ET CUM EODEM *Matrimonium de præsenti inire appromittit*, ET ASSENSUM PERFECTUM EXTRA OMNEM METUM POSITA, FORTITER, LIBERE REITERAT = mandavit, Matrimonium

in

inter eosdem Conjuges iterùm, servata forma Sacri Concilii Tridentini, contrahi in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, sive coram proprio Parocho, imposita prius pœna ipsi Mariannæ veniam petendi a supradicto Matthia Malekouuski Patruo suo, ex quo Matrimonio se junxerat sine illius consensu, ut *in citato Summario num. 2. litt. G., H., I., & L.*, ac subinde Appellationem ab ejusmodi definitoine per Patruum interpositam bis semper rejecit, *Summario eodem num. 2. litt M.*: Omnibus his peractis in præsentia septem Virorum Dignitate, ac Nobilitate clarissimorum, *ibidem lit. N.*

32 Duo autem hinc prodeunt validissima argumenta pro validitate Matrimonii; Alterum est, quod si Marianna Adversaria, data sibi hac opportuna occasione, non adhæsit nullitati Matrimonii, quam judicialiter promoverat Patruus suus, quin immo potius coram Iudice personaliter comparens, acriter validitatem Matrimonii propugnarit, ulteriusque eidem Judici constanter adseveravit, non alteri, quàm Theophilo Rozdrazeuski se connubialiter jungi velle, pro certo tenendum, atque existimandum est, quod prædicta Marianna Adversaria non coactum, sed liberum, & voluntarium consensum præstiterit Matrimonio præcedenter coram Parocho, & Testibus *sub die 22. Iulii 1736.* inito, dum imperceptibile prorsus est, quod ea occasione totis viribus non curasset coactas, & invisas Nuptias dissolvere, ac metum, quem modo post sexdecim annos ab Avia sibi illatum nimia Muliebri inconstantia proponit, Iudici, cæterisque Viris spectatissimis propalare, atque manifestare, prout pro exclusione metus hanc perurgentem circumstantiam expendunt, *Sperell. decis. 75. num. 23., Riminald. inter. cons. divers. de Matrimon. cons. 77. num. 3. & Rota in citat. Luceorien. Matrimonii 1. Iulii 1726. §. Consulto cor. Card. Calcagnino.*

33 Alterum verò est, quod in falsissima hypothesi, quod D. Adversaria coacto, & involuntario consensu adacta fuerit ad Matrimonium ineundum cum D. Principali *sub die 22. Julii 1736* adhuc tamen cum subsequenti *anno 1737. extra omnem metum* posita, & sub Auctoritate Judicis, & præsentia clarissimorum Virorum deliberato animo declarasset, se in supposito casu nullitatis primi Matrimonii propter ætatis defectum illud reiterare velle cum eodem D. Theophilo Rozdrazevski, prout de facto iterum Matrimonium contraxit in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, servata forma Sac. Concilii Tridentini, ut constat ex judiciali confessione ipsius D. Adverlariæ tàm in Articulis, ab ipsa exhibitis, emissa *Summario Num. 10.*, quà in comparitione, de qua *Summario Num. 25. litt. B.*, ibi = *Prout Testimonium ex Libro Copulatorum in Ecclesia Cathedrali Posnaniæ edocet* =, & supra probavimus §. 18.; Quapropter frustrà à D. Marianna allegatur ass. metus sibi ab Avia illatus anno 1736., quo prima vice nupsit D. Theophilo, eo.

ipso, quod nullo timore, seu metu compulsa, sed liberè, & animo læto, & constanti juxta solemnia Sac. Concilii Tridentini de novo sese matrimoniali fœdere colligavit.

34 Quin juvet opponere, quod propalatio ejus animi secundò nubendi eidem D. Theophilo provenerit ex ipso præcedenti timore, & metu ejus Aviæ, à qua etiam instructa fuerit de iis, quæ Judici manifestare debebat, sicque matrimonium secundò initum nullitate laboret ex eodem defectu liberi, & voluntarii consensus juxta ea, quæ probanda sibi proposuit *in Articulo quinto*, legendo *in Summario Num.* 10. tum quia si ostensum est supra, quod nullus probatur metus ab Avia illatus, vel si probatur, levissimus fuit, nec gravis, nec in constantem virum cadens, alllegari non meretur perseverantia ejusdem metus pro causa nullitatis contracti secunda vice Matrimonii ex eodem involuntario consensu; Tum quia contrarii Testes particulariter *super* 5. *Articulo* interrogati septem nempe *primus*, *tertius*, *quintus*, *sextus*, *septimus octavus*, *& nonus* responderunt, sese inscios penitùs esse de contentis in dicto Articulo *Summario Num.* 11. 13. 15. 16. 17. 18. *&* 19., cæteri verò duo videlicet *secundus*, *& quartus* deponunt simpliciter *de auditu*, *eodem Summario Num.* 12., *&* 14., quibus proindè nulla in Judicio fides præstari potest ad vulgatum *Text. in cap. Licet ex quadam de Testib.*

35 Tum præcipuè quia, quoties Domina Marianna constituta in publica Audientia coram Judice pro Tribunali sedente, & aliis adstantibus Viris dignitate, & authoritate pollentibus, ass. metum sibi ab Avia incussum non modò non propalavit, sed è contra Matrimonii tamquàm liberè, & legitimè contracti validitatem defendit, ac ulteriùs à Judice de libero ejus consensu interrogata, constanti, & intrepido animo respondit, perpetuam vitæ Societatem connubiali affectu habere velle cum Domino Theophilo exclusivè ad alium quemcumque, nemo certè sibi persuadere poterit, quod Marianna ex ass. metu sibi præcedenter illato hæc omnia edixerit, dum semper verum est, quod si invisæ, & exosæ sibi fuissent Nuptiæ cum Domino Theophilo, tunc veluti extra omnem metum posita, ac plenæ libertati restituta hunc animum suum pandere non omisisset Judici, eam etiam interrogati super libera voluntate, nec positivè, constanterque adseverasset Theophilo, non alteri adhærere velle, nec post tres, aut quatuor dies in sequelam panditæ ejus voluntatis Matrimonium in facie Ecclesiæ *de facto* denuò renovasset.

36 Hæc porrò omnia efficiunt, ut Domina Adversaria contra hoc proprium factum adeò solemne audienda nequaquam sit in Judicio super nullitate Matrimonii, non obstante quocumque ejus juramento suppletorio, quod in Causa Matrimoniali uti gravissima non defertur, quando præsertim agitur contra Fœdus Matrimonii ad expressos *Textus in cap. Super eo de eo, qui cogitur*

gitur contra Uxorem ea altera viva, *&* *in cap. Vidua de Regular.*, *&* *Rot. coram Molines decis.798. num.24.*, *&* *25. cum Sperell. decis.75. num.23.*, cum pro validitate Matrimonii semper judicandum sit, quoties quis utcumque praecedenter metum passus in plenario deindè libertatis statu constitutus, ultroneum consensum praestitit celebrationi Matrimonii, quemadmodum in terminis satis durioribus dixit Sacrum *Rotae* Tribunal *in Luceorien. Matrimonii 1. Julii 1726. §. Alterum*, & in confirmatoria 10. *Januarii 1727. §. Vel quatenùs cor. cl. mem. Card. Calcagnino*, *&* *in Romana Matrimonii 1. Julii 1726. §. Qualibet namque*, & pariter in confirmatoria 2. *Maji 1727. §. Hujus profectò*, *&* *seqq. cor. Ratto*, constatque ex Resolutionibus Sacrae hujus Congregationis editis, *in Aquinaten. Nullitatis Matrimonii 5. Junii 1706.*, *&* *29. Januarii 1718. in Gravinen. 1. Septembris 1725.*, *&* *in Cremonen. Matrimonii 22. Martii 1732.*

37 Gravissimum pondus hisce omnibus pro exclusione cujusque ass. metus tam ante, quam in actu celebrati *bis* Matrimonii addunt ea, quae inter ipsos Sponsos subsecuta fuere; Domina namque Marianna Adversaria etiam post obitum Aviae numquam de nullitate dixit Matrimonium, continuam maritalem consuetudinem cum ejus Sponso Theophilo habuit per spatium *quatuordecim*, & ultra annorum, numerosam prolem usque ad *novem* numero Filiorum suscepit, quorum quinque adhuc in humanis sunt *Summario Num.3.*, *&* *Num.4. 5.*, *&* *6. litt.A.*; Hoc autem longum silentium, continua, diuturnaque cohabitatio, ac prolis numerosae susceptio, quidquid sit, an convalidare haec potuerint consensum usque ab initio deficientem; certissimum tamen praebent argumentum plenae libertatis consensus Matrimonio ab initio praestiti, itaut probatio in contrarium non admittatur, ad *Text. in cap. Significavit de eo, qui duxit in Uxorem*, *cap. Insuper qui matrim. accusar. possunt.*, & prae caeteris notant *Bottier. de Matrim. cap.76. num.21.*, *Sanchez eod. tract. lib.4. disput.12. num.3. & 14.*, *&* *disput.18. num.2.*, *Bossius eod. tractat. cap.12. num.128.*, *&* *382.*, *Sperell. dec.6. num 2.*, *&* *4.*

38 Et cum aliis *Sacra Rota decis.87. num.1. decis.873. num.1. coram Seraphin. decis.928. num.7. coram Buratto*, *&* *decis.301. num.41. par.11. Recent.*, *&* *in Romana Matrimonii 4. Februarii 1697. §. Fortius coram bon. mem. Ursino*, *&* *in Cracovien. Matrimonii super Remissoria 21. Aprilis 1698. §. Sed ultimum coram clar. mem. Card. Priolo*, ibi = *Sed ultimum*, *&* *validissimum argumentum pro libero*, *&* *sincero consensu est congruum silentium*, *continua*, *&* *diuturna cohabitatio*, *ac prolis numerosae susceptio*, *quae etsi consensum usque à principio deficientem convalidare minimè possunt*, *optimè tamen demonstrant*, *illum numquam defuisse*, *nisi contrarium concludenter probetur ad Text. in cap. Ad id*

de

de Sponsal., *ibique Gloss. verb. per annum in medium notat*, *quod consensus non solum præsumitur ab initio*, *SED NON ADMITTIT PROBATIONEM IN CONTRARIUM*, *referendo illa Carmina in ore Canonistarum satis vulgata nempe* = *Effuge cum poteris ne consensisse videris* = *Nam si persliteris*, *illius Uxor eris* = *& in Luceorien. Matrimonii* 1. *Julii* 1726. §. *Hactenus coram clar. mem. Card. Calcagnino*, ibi = *Ex qua conjugali cohabitatione omnimodam animi tranquillitatem demonstrante*, *tuto nascitur argumentum plenæ libertatis adhibitæ inter Conjuges Matrimonio assentientes ex intimo conjugali affectu præordinatum*, *conclusum*, *atque perfectum fuisse*, *ad Text. &c.* = Carmina in ore Canonistarum vulgata de metu

39 Non obstantibus nonnullis conquæstionibus Dominæ Adversariæ in longo decursu ejus consuetudinariæ connubialis vitæ, ac levibus quibusdam discordiis inter eam, & Sponsum suum subortis, de quibus loquuntur contrarii Articuli *à nono* usque ad ultimum *Summario Num.*10.; Præterquamquod enim hujusmodi conquæstiones, ac discordiarum semina non habent in facto legitimæ probationis fundamentum; Hoc unum tamen certum est, quod supposita discordiarum semina inter Sponsum, & Sponsam excitata causam, & originem non habuerunt à meticulosis, coactisque Nuptiis, sed ab aliis Successibus, ut plurimum inter Sponsos connaturaliter enascentibus, juxta illud Juvenalis satir. 6. = *Semper habet lites*, *alternaque jurgia lectus* = *in quo nupta jacet* =, proptereaque cum semel ab initio per liberum assensum Matrimonium validè contractum fuerit, nullo deinde prætextu irritari potest, & quarumcumque supervenientium circumstantiarum nulla ratio habenda est, *Gloss. in cap. Plerumque verb. Nec reconciliata de donat. inter Vir*, *& Uxor.*, *& Rot. in Recent. decis.*301. *num.*30. *par.*11., *decis.*490. *num.*6. *par.*18., *& in Luceorien. Matrimonii* 10. *Januarii* 1727. §. *Licet vero cor. clar. mem. Card. Calcagnino*. Juvenalis de levibus discordiis

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

SACRA
CONGREGATIONE
CONCILII
R. P. D.
FURIETTO
SECRETARIO
Posnanien. Matrimonii.
PRO
Magnifico D.Theophilo Rozdrazevuski.
CONTRA
Magnificos DD.Mariannam Malekovvs-ka, & Joannem Belecki.

M
Facti.

21
Typis Bernabò 1754.

Druki sejmikowe
dotyczące dziejów
ruskich województw polskich

20.000